ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Amplissimo ac Summo Viro,
CONSTANTINO HUGENIO
Jos. Cabeliavius S.D.

Duas jam pridem ad me dederat utriusque nostrum studio-
sissimus, Godefridus Wendelinus, quas beneficio tuo
nactus sum, Vir Amplissime. quarum e calce uti liquet, ante
annum, et quod excurrit, conscriptae fuerant. Ut hinc fa-
cile colligam, quam non meum in Sueciam abitum ignoraveris.
Bene fecisti, qui eas in reditum meum custodieris. Et hoc
nomine ingentes tibi gratias ago. Vult idem ille noster,
ut, quicquid rescribam, curem, id per te curari. Quod facere
ausus non fuissem, nisi tanti Amici imperio obsequuturus.
Ignosces ergo mihi, si quid hic peccem. Coram, uti stabat,
& hoc, et alia, audisses. Et jam Hagae eram, tecum peni-
tius de toto itinere meo acturus. Sed, ut dicebatur, in castris
Illustrissimi Principis tunc eras. Interim ego huc, ut vides,
excurri. Ubi diutius, nullis ad te datis, commorari ac deli-
berare debui. Ergo has accipe, flagrantissimi mei in
te animi et amoris testes. quis, si nihil aliud, saltem id per-
suasum tibi habeas, tanto me te affectu prosequi, ut, tot
omnes ἐλέγξας καὶ διεξελθὼν φίλους, occurrat nemo, cui impen-
sius, quam tibi, faveam. Hinc saepe incalesco, tot illustrium
tuarum Virtutum, tot insignis tuae eruditionis, aestimator.
Hoc quantum mihi nomine gratulor, tantum doleo, cui non licuerit
hactenus propius tecum vivere. Adeo mihi summo in pretio
es, Hugeni, μέγα κῦδος Patriae nostrae. Sed et inde meus
erga te affectus gliscit, quod Brabantinos meos ames. Putea-
nos, inquam, Tuldenos, Wendelinos, caeterosque. qui ut tui
sunt amantes, ita etiam testes esse poterunt, quid ego de te
semper scripserim. quamquam amore nostro nihil augeare.
Neque ideo hoc jam testor, quasi tantum mihi pondus
vindicem. saltem eo fit, ut semel firmiter confidas, nihil mi-
hi esse prius aut antiquius, quam ut de te bene mereri ali-
quando possim. Etsi impar ac indignus sum, cujus officia
tantis surgant fastigiis, tamen eo incumbam omnis, uti olim
me tui studiosissimum agnoscas. Interea omnia mea stu-
dia, & quae in me commendentur inspice, et intimo animo
tibi conservata sunto. Ego vero de tuo in me candore adeo non du-
bito, ut tot pollicear mihi, tot expectem, quicquid a vero
amico proficisci queat. Uxorem me duxisse, qualem mihi
optaram semper, modestam, ingeniosam, probam. addam et
foecundam. Ut et nos quoque posteritati litasse videamur.
Faxit Deus, talis mihi nascatur proles, qualem mihi optat
Divinus ille Salmasius in Epigrammate illo Graeco, quam
erudito, tam male expenso. Interim vero omnia fausta expectabi-
mus securi. Has ad Celeberrimum Wendelinum
nostrum

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/806

Nostrum curæ tuæ committo. Ut dixi ante, Amici nomine
pecco. Sicubi vicissim inservire tibi possum, quæso, impera pa-
rato. Ut spero, rescribes. Mittendi orbitam quia nescis,
compellare dignaberis incomparabilem Adinsium nostrum.
Novit hic heros, ubi terrarum nunc commorer. Studia no-
stra promovere, scio, non desinit Excellentia Tua.
Quamobrem et tibi, Decus meum, si cuiquam, illa
commendarim. Pluribus te occupare nolim.
Vale. Anclæ, id est, in prædio nostro dotali,
prope Bredam. XXVII. Julii. MDCXXXIII.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/806

Mijn Heer,
Mijn Heer Constantinus Hugenius,
Ridder, Raed en Secretaris
van Sijn Princ. Exc.tie
In
's Graven-Hage.

port.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Cabeljauw) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/806